

ditus: est à DEO ipso, ac proinde in parte rerum bonarum collocandum.

64. Largitur enim Deus hodieque motum & δύναμιν agendi, ac subministrat agendi principia, vires & organa; videlicet facultates illas anime principes, mentem & voluntatem, ceterasq; anime & corporis vires: alioquin enim ne ad momentum quidem homo subsistere posset. Act. 17, 28. & 25.

65. Caterùm quoad defectum, vitiositatem sive ἀταξίαν: illa non à DEO, primo ac optimo rerum omnium conditore: Sed per accidens aliunde, ab homine nimirum corrupto, ejusque perversa voluntate provenit: uti infra ostendemus, in decisione questionis huius Ἰερων.

66. Exempli gratia: quòd homicida aut latro aliquis extendit manum, stringit gladium, & percutit: hanc vim habet à DEO: Quòd autem manum extendit ad objectum illicitum: stringit gladium & vim infert alteri: hæc est ἀταξία & vitiositas motus, non DEO adscribenda, sed improba cupiditati hominum.

67. Haud secus ac in claudicatione aliud est motus ipse ambulationis: aliud vitium claudicationis: & utrumque à suo proprio, ac à se mutuo diverso pendet principio. August. 1.
de Perfect.
Iust.

68. Obstrepit hinc ratio humana, & querit, quã obrem Deus sustentet & conservet naturã humanam, ac non potius eam tanto perẽ corruptam & vitiatam, ratione sua justitiã deleat. At